

quod non faciunt Autores Exercitationum & Commentariorum, semper vetera ruminantes, quapropter & Practico atque in rerum usu versanti hi parcius legendi, illi diligentissimè pervolvendi sunt. Sed *desidero* ratione *materiae*, quòd immiscent etiam casus pervulgatos atque aliis dudum decisos, item casus per se manifestos, & ex generalium, quæ certi juris sunt, subsumptione merà determinabiles. Deceret potius ad alios Autores tantùm supplementa addi, ne inutilibus repetitionibus orbis oneretur; aut si quid ab iis dissentias, vel novam aliquam rationem objectionemque habeas, id quoque admoneri; non omnia denuò exscribi, sumtusque Typographicis & Lectoribus sine necessitate conflari. *Ratione Formæ*, ordinem illis optarem, qui vel nullus esse solet, vel nō naturalis. Nec nimis fusè una quæstio tractanda est, ut faciunt Autores Consiliorum, qui ut tantò grandiore & pretiosiore, si Diis placet, laborem suum reddant,